DE ARATRO A VIRGILIO DESCRIPTO IN LIB. 1. GEORGICORUM

DE ARATRO

A VIRGILIO DESCRIPTO

IN

LIB. I.° GEORGICORUM



BONONIAE
E TYPOGRAFEO LEGATIONIS AD SIGNUM VULPIS
A. MDCCCLI.

Cum in arte qualibet, vel scientia adipiscenda historiae ipsius utilitatem, immo et necessitatem multa suadeant argumenta, tum hoc prorsus opinor potissimum, quod illius studio, parva rerum initia, atque progressus perpendens, erigitur animus, omnique conatu ingenium ad nova inventa, et praestantiora contendit. Cui utilitati si certe non parum contulit eorum eruditorum solertia qui caute in explanandis, atque emendandis antiquorum scriptis operam dederunt, ut horum excogitationes clarius innotescerent; profecto non modo inane, sed et noxium opus mihi videntur aggressi qui in obscurioribus locis declarandis, vel emendationibus nimia facilitate indulserunt, vel in obscuritate ipsa multa sunt perscrutati: ita ut

homines isti scilicet doctissimi vim potius ingenii sui, atque artis criticae usum, quam sententias scriptorum monstrarent. Quod cum in interpretatione locorum quae captu sunt difficilima non raro licet observare, tum praecipue mihi videtur id factum a plerisque ex iis qui, de Aratro Veterum disserentes, formam illius cujus fit mentio apud Virgilium in Lib. 1. Georgicorum nobis praebere conati sunt. In ipsa enim forma elicienda non solam vim verborum, scriptorumque consensum, sed instrumentorum potius quae prae oculis haberent, et quorum apud recentiores est usus, structuram secuti, nil mirum quod eo evenerint, ut unusquisque ne dum de Aratro illo varie senserit, quin etiam, et aliquis pronuntiare non dubitaverit aratra omnia, quorum multiplex nunc est constructio jam antiquis innotuisse. Attamen cum argumenta quibus illa innitatur sententia desiderentur, luculentius, et probabilius mihi videtur recta critica uti, qua sententiarum, rerumque veritatem, nec non verborum proprietatem cum exploraverimus, securius ad assequendam scriptorum mentem, atque ab objectis difficultatibus vindicandam, nec non ad eruenda, et illustranda artium, et disciplinarum quae modo floruerint initia progredi possimus. Re quidem vera in hujusmodi disputationibus,

cum criticae regulas sectamur nil leve vel parum utile existimandum erit omnimode nemini dedecori ducendum, excutere non animadversa, vitia indicare latentia, etsi iis medela afferri nequeat.

Atque ut aperte pateat omnis quaestio refferam illos Poetae versus quibus Aratri descriptio continetur: scilicet (1)

Continuo in sylvis magna vi flexa domatur
In burim, et curvi formam accipit ulmus aratri;
Huic a stirpe pedes temo protentus in octo
Binae aures, duplici aptantur dentalia dorso.
Caeditur et tilia ante jugo levis, altaque fagus
Stivaque quae currus a tergo torqueat imos;
Et suspensa focis explorat robora fumus.

statimque vel ex ipsa lectione unusquisque facile intelliget Virgilium hoc loco non sedulo ac minutatim omnium aratri partium descriptionem sibi perficiendam, neque illarum juncturam omnibus qui eam non pridem novissent patefaciendam proposuisse; quin immo manifestissime constat vix partium ipsarum nomina, vel levissime, vel tantum poetico sermone illis quibus continenter essent prae oculis voluisse

(1) Virg. Geor. Lib. I. v. 169. 175.

commemorari. Ibi enim neque membrorum conjunctio, neque horum ratio explicatur, et si temonem excipias, cujus etiam dimensio subobscure proponitur, aliorum omnium plane latet mensura. Ex quo fit ut cum partium nomina tantum attendas, praesertim quae primis quinque versibus continentur, aratra bene multa licebit componere, quae illis conveniant. Raro enim aratrum reperies quod auribus omnino careat, nunquam vero cui dentale, aut temo desint: nam quum vel una ex his postremis partibus desideretur instrumentum hoc nec usum nec nomen aratri retinere potest; siquidem temo ad illud pertrahendum, dentale autem ad terram proscindendam adhibetur. Nihil ergo ex tota hac descriptionis parte poterit quisquam conjicere, quod illius aratri formam non obscure nobis ostendat, atque omnis disputatio in illo versu tota est, quo Poeta currum indicat quem a tergo torquet stiva.

Primus omnium hunc locum interpretatus est Servius cum ad illa verba *currus imos* declarat hoc ita dictum a Poeta propter morem provinciae suae in qua aratra habent rotas quibus juvantur. At qua ratione in ipsis rotae currum constituant nullo modo ostendit Servius. Attamen cum nunc Mantuae adhibeatur aratrum in quo temo non jugo innititur, sed parvo

cuidam currui, qui rotarum axe temonem ipsum sustinet, atque hoc modo ad trahendum instrumentum inservit, ex recentiorum usu nonnulli arbitrati sunt Servii sententiam explanare, atque inde plerisque pro certo fuit a Virgilio aratrum curru instructum designari quo non Mantuae tantum, sed in omni pene regione ubi est densior terra, et praecipue apud nos utuntur agricolae. Ita nescio an ad explicandam Virgilii difficultatem Servii auctoritas, an ad declarandam Servii sententiam recentiorum usum magis conferat. Nulla enim in Catonis, aut Varronis, immo nec in Columellae, vel Palladii libris reperiuntur testimonia, quibus illa comprobetur opinio. Neque satis firmum illud haberi potest quod a Plinio licet colligere, quum Nat. Hist. lib. XVIII. enumeratis quattuor vomerum generibus subdit. *Non pridem inventum in Rhaetia Galliae ut duas adderent alii rotulas, quod genus vocant planarati.* Non enim magis ex hisce Plinii, quam ex Servii verbis vel aratri vel currus structura elucet. Igitur nil mirum si sententiam illam complures rejecerint, et Virgilii textum vitio laborare crediderint: cum satis apte ex Poetae verbis erui non possit ibi eum locutum esse de aratro curru instructo.

De vitiata lectione nihil dubitans huic loco

mederi posse putavit Joannes Martinus voce *currus* in altera *cursus* mutata. Hunc secutus est Anonimus quidam in Dissertatione de Aratro Veterum in Actis Acc. Mog., nec non Jo. Ant. Giobertius in Actis Accademiae Taur. disputans de Comparatione Aratri Antiquorum cum Aratro Pedemontano, et alii plures quibus videtur voce *cursus* significari aratri motum, et *cursus imos* haberi posse pro aratri motu in extremitate sulcorum. Quare pro comperto est juxta Martinii sententiam, illis verbis: *Stivaque quae cursus a tergo torqueat imos*, aratorem ostendi qui stiva torquet aratrum cum ad versuram pervenerit.

Quamvis tamen emendationem hanc doctissimi receperint, licebit, spero, de illa pauca quaedam animadvertere. Ac primo emendationis necessitatem fas erit in dubium revocare, nam neque codicum dissensus in erroris suspicionem adducit, neque loci intelligentia tanta laboret difficultate ut sensu careat, et castigatione prorsus indigeat. Quin imo etiam dubitaverim profecto an haec sola ratio justam emendationis causam praebere possit. Id autem suspicor auctoritate fretus Wesselingii clarissimi viri, atque de arte critices optime meriti, cujus fuit opinio, nunquam temere quicquam ex recepta lectione in Graecis, Latinisque Scriptoribus esse comutandum, nisi manifesta ratio, aut codicum prae-

stantiorum consensus aliud jubeant. Ipse propterea libens (ut asserit Prob. Cap. VII) veterum locis, quae in vitii suspicionem venerunt, defensionem si qua honeste potuisset, parare solebat.

Si vero emendationis rationem respicias, ubi illam admiseris, mihi videtur non satis apte indicari stivae officium. Quis enim cum de stiva loquatur dixerit eam esse aratri partem, qua arator ipsius istrumenti cursum torquet dum absoluto priori sulco ad alterum inchoandum se se convertit? Qua ratione si stivam descriptam reperies necesse erit inferre illam aut ad id tantum, aut certe ad id praecipue inservire. At quantum hoc a vero absit vel ipsis rerum rusticarum imperitis notum est, cum aratorem quotidie videant stivae innixum, et illa continenter utentem ut sulcos recta ducat, atque ubi densior terra per stivam omni conatu niti ne respuatur vomer, neve aut exeat e solo, aut nimis profunde inseratur si elatior modo, modo depressior occurrat. Quae cum evidenter omnibus pateant, atque in aratri usu ab ipsius operis natura promantur quis non putet Virgilium quasi nugatiore egisse, quum stivae descriptionem breviter perstringens, ea vel non animadvertisset, vel ipsis rejectis, minus proprie, atque ut ita dicam longe petita ad illud significandum

delegisset? Quis vero hoc pronunciare vel modo suspicari ausus fuerit? Quis non a Poetae ingenio omnino alienum censeat? His igitur recte perpensis cum neque causa medendi illius loci plane constet, neque emendationis ratio castigationem commendet, antiquam lectionem retinere, eamque tute sequi non dubitaverim.

Nec tamen illam secutus ad priorem sententiam de aratri structura reverti aequum duxerim, nam et iis assentior qui eam rejiciendam arbitrantur, ut superius dixi, quod testimonia quibus probetur omnino deficiant, et ipsam refelli opinor argumentis quibusdam, quae investigatio loci suppeditat.

Ac primo quis putet satis proprie verbis illis *currus imos* significari posse a Virgilio aratri currum, cum recte perspectum habeat currum ipsum non in ima istrumenti parte, sed in superiore? quippe aratrum in terra inferius mergitur, et currus rotis rectus superficiem excurrit.

Huc observandum accedit, quod Virgilius ipse indicium fecerit in sua descriptione non aratrum curru instructum respexisse, sed aliud formae longe simplicioris. Cum enim de temone loquitur, ejusque statuit longitudinem utitur his verbis *a stirpe pedes temo protentus in octo.* In nostro autem aratro, ut duo insunt machinamenta, quae simul juncta unum instrumentum

constituunt, aratrum scilicet, et currum, ita duo insunt pariter temones, quorum alter jugo fertur, et per ipsum pecudes instrumentum perthraunt, ope autem alterius aratrum currui nexu quodam jungitur. Quam sane distinctionem non praetermissam ut nimis accuratam, vel non animadversam, sed ut ad propositum minime conducentem expresse rejectam, plane demonstrat.

Esto tamen: pone aratrum illud descriptum de quo fit quaestio. At in hoc aratri genere stiva minime torquet currum. Quum enim currus, et aratrum arcte jungantur, non ita tamen, ut unum idemque corpus efficiant, currus pecudum motu omnino vertitur, neque aratori ipsum per stivam flectendi, vel aliquo modo torquendi ulla est facultas. Quemadmodum igitur emendationem superius rejiciendam putavi, ita ut opinor interpretationem hanc minime recipiendam; nam si ex illa perperam, et inepte, ex hac per errorem, et prorsus falso locutum Virgilium manifestum fiet.

Itaque reliquum est ut videamus quid de illo curru sentire liceat, quod tamen ab his omnibus quae hactenus exposui non disentiat. Illud vero haud improbabile quisquam censeat, cum sibi effinxerit in ima aratri parte duas constitutas rotulas, circa axem mobiles, atque ab inferiori dentalis superficie ita prominentes, ut

posterius dentale ipsum parallelum a solo remaneat, et earum versatione facilius instrumentum excurrat. Ad hanc vero structuram concipiendam quoddamodo impellit ille Plinii locus, quem superius commemoravi, quemque nullius momenti duxi, quum ad aratrum curru instructum referatur. Ibi enim nulla currus fit mentio, et duae tantum rotulae dicuntur additae. Praeterea vox illa *rotulas* currus omnino immaginem tollit; nam quas in aratri nostri curru, vel in alio quovis ejusdem formae videmus, nemo rotulas proprie nominaverit, sed rotas. At rotularum nomen certe convenit parvis illis duobus cylindris, quos ut sitos in inferiori aratri parte proposui.

Neque praetereundum in antiquis editionibus hunc Plinii locum paulo aliter legi, scilicet *duas adiderunt tali rotulas.* Hanc vero lectionem mutavit Harduinus mendosam ratus illam vocem *tali*: at ego opinor quod illius significationem non sit assecutus. Talus enim, sicut in re qualibet est illius pars posterior et infima, ita in aratro, cujus basis est dentale, partem ejus posteriorem, qua solum premit, recte dixeris aratri talum, et tali rotulas cylindros duos de quibus nunc agitur.

Quum vero haec omnia in aratro cujus nunc structura disquiritur plane congruant, non du-

bitaverim, et antiquorum lectionem anteferre, et eamdem ut argumentum quo illa ipsa comprobetur proponere.

Quomodo autem hanc aratri formam et structuram respiciens Virgilius recte potuerit ipsam per currus speciem significare, quisquam sibi facile persuadeat, quin etiam et modum laudabit certe, cum hunc poemate dignum deprehendat, atque ex ipso nobiliriorem, et elegantiorem fieri descriptionem perspiciat. Quum enim aratrum duobus illis rotulis innixum progrediatur, aptissime poeticam currus refert imaginem, et aequius simul, atque elegantius dixeris currus imos hoc aratri genus, quod depressum undique videas, atque in ipso rotulas infimum obtinere locum, quam illud in quo rotae altius aratro progrediunt.

A stiva autem in hac aratri structura currus imos torqueri, idest totum aratrum ab aratore per stivam flecti, ac regi procul dubio est, atque hoc potissimum in interpretatione arbitror.

Neque vereor objici posse inventum illud admodum esse rude, et parum in se vel nihil forte utilitatis habere; quin etiam omnino congruum, et arti illorum temporum hac in parte consentaneum opinor. Nam etsi veteres in re agraria labore, compendio, industria excelluerint, in instrumentis tamen perficiendis valde

profecisse non constat: id saltem plane testare videntur pauca quae de hoc argumento nobis reliquere eorum scriptores.

Quod vero extiterit talis aratri structura evidenter probat recentiorum usus, atque id Boschio teste affirmo. Ipse enim de aratro disserens inter plura, et formae varietate diversissima hoc etiam dinumerat, lateque describit, atque ut adhibitum refert in quibusdam Britanniae regionibus.

Sed quanti haec sint facienda judicium erit vestrum; Collegae prestantissimi. Ea exposui nullo partium studio, atque ut explanarem tantumodo Virgilii verba. Nosce enim utrum aratrum illud a Virgilio descriptum sit Mantuano simile, an Mutinensi potius vel Pedemontano, quantum rei agrariae intersit ignoro. At propter hujus generis disquisitiones antiquorum scripta torquere, perperam interpretari, emendari etiam sine causa, mihi nescio quid turpitudinis, vel arrogantiae patefacere videtur. Omne igitur in eo studium converti ut ipsa a cavillationibus vindicarem: cum enim eorum integritas servatur, simul et eorum auctoritas defenditur, ex quibus scientiae utilitas prodit. In quo quiquid egerim parum tamen non egisse credidero, siquidem fidem merentur illa Gesneri verba, qui in notis ad Var. Lib. III Cap. V haec habet. *Mihi*

videtur pluris esse una corona ob civem servatum data; pluribus hastis ei datis qui hostem percussit. Melius vel modestissimo in summa doctrina Victorio teste de litteris meretur qui locum obscurum ab emendatione intempestiva vindicat, quam qui decem alios ingeniose emendat.

Joannes Antonius Giobertius in laudata Dissertatione affirmat (nec tamen video qua ratione id affirmet) absolutam omnino enumerationem partium, quibus constat aratrum, exhiberi a Virgilio, ubi sibi recensenda proponit *quae sint duris agrestibus arma* etc. Verum ipse dum singillatim Virgiliani aratri partes expendit, partesque respondentes nostri cum iisdem confert, evidentissime, et pene dixerim nolens, contrarium demonstrat, innuitque allatam partium enumerationem haudquaquam esse omnibus numeris absolutam.

Sed cum ego non ille sim, qui hujusmodi comparationes, laboriosas nimium, nihilque interdum definientes, instituere velim, aratrum considero in primigenia sui simplicitate, quemadmodum illud nobis repraesentant non semel anaglypha ac numismata; eoque magis ita illud considero, quod eadem forma tum arrideat scriptoribus omnibus Agrologiae, et Archeologiae, qui unanimes illud nativa quadam rusticitate confectum spectant, tum ipsimet Giobertio probetur, qui eandem omnino formam, in sua Dissertatione admittit, vel saltem talem sibi effingit.

Hujusmodi aratrum referunt duo diagramata quae hic subjiciuntur: *T.* 1. *N.* 2 distincta, quorum primum exhibet aratrum e latere spectatum, alterum vero partem ejus inferiorem in conspectu positam. Constat autem *Temone* A B, quod sub angulo 24 circiter graduum occurrit *Dentali*, sicque *Burim* constituit, cui pone per angulum obtusum, ubi nimirum Temo Dentali inseritur, adhaeret illa pars, quam Virgilius *Stivam* appellat, estque omnino capulus, quo utitur arator ad tractandum, moderandumque instrumentum.

En igitur tres partes, quibus constat aratrum in nativa sui simplicitate spectatum; quod aliis verbis dici posset arboris truncus tria referens crura, quorum longius est ***Temo***, ac per ipsum vis motrix ***Dentalem*** in humum defigit: brevius, sed crassum admodum, et validum, ipsi ***Dentali*** respondet, formamque praesefert valde acuminatam ad ***Temonis*** verticem. Idem vomeris vice fungens parte sua anteriori, quae ad instar cunei erigitur e parte sua postica humum findit eodem tempore, quo suis lateribus ad triangulum isoscele comparatis glebas sustollit, sejungit, effunditque ad utrumque latus, uti efficit illa machina terram versans, quae a nonnullis *orecchione*, ab agriculis autem nostris *assa* vulgo solet dictitari. Et en *binae aures* Virgilii, quia fortassis jam tum binae tabulae dentali utrinque adjectae fuerant. Tandem assurgit ***Stiva*** F G, quae angulum obtusum efficiens cum ***Dentali***, cum ipso connectitur in parte postica, quaeque ab aratore in G manu apprehensa, instrumentum, et opus moderatur, siquidem per ipsam aratrum et attolli, et demitti in sulcum potest, multaque vi aut dextrorsum, aut sinistrorsum impelli.

Ad hujus conjunctionis basim, vel paullo plus pone, mihi confingo constitutas esse *rotulas* M N, quae a Virgilio indicari mihi videntur per illa verba *currus imos*, et a Plinio per alia *tali rotulas*. Nec arbitror me multum a veritate abesse id affirmando, si in Dissertatione mea satis probavi unius Auctoris locum alterius interpretationi inservire, eosque consentire inter se, quin ad ullam lectionis emendationem confugiendum sit. Caeterum Agrophilis, Agronomis, Eruditisque omnigenis relinquo de hoc commento meo sententiam ferre, quod tamen inter conjecturas satis probabiles mihi videtur haberi posse.

Fig. 1.a




Fig. 2.a



Minardi dis.

Lit. Giordano e Gasp.